

**Zeitschrift:** Freiburger Zeitschrift für Philosophie und Theologie = Revue philosophique et théologique de Fribourg = Rivista filosofica e teologica di Friburgo = Review of philosophy and theology of Fribourg

**Band:** 52 (2005)

**Heft:** 3

**Artikel:** IONNES PERLIN SI : de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de gratia Dei

**Autor:** [s.n.]

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-760669>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 04.05.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

IOANNES PERLIN SI: De exteriori principio  
humanorum actuum, scilicet de gratia Dei  
[MS. Köln, Historisches Archiv GB 4° 1]

<67r> Controversia V De potestate et sufficientia actualis gratiae  
creationis in ordine ad vincendas tentationes occurrentes circa  
opera bona moralia, et naturalia

Sunt in hac vita difficultates quae se se offerunt avocantque hominem a  
virtute et pellicunt ad vitium. Circa quas videndum est, quid suapte natura  
possit homo adiutus solum actuali gratia creationis. Neque modo inquiri-  
mus, nisi tantum <MS.: tandem> circa opera bona moralia naturalia. De  
supernaturalibus enim infra suo loco. Atque in primis examinandum est

*Dubium 1*

*Utrum homo viribus naturae possit quodcumque bonum opus morale, sive sit  
praeceptum, sive consilium, adimplere, non obstante quacumque tentatione, quantumvis  
haec gravis est.*

Prima sententia tenet nullam tentationem quantumvis minimam posse vinci  
ab homine <67v> viribus naturae sine gratia per Christum. Sic P. VAZQUEZ  
disp. 189 c. 4,<sup>1</sup> P. BELLARMINUS lib. 5 *De Gratia et Libero Arbitrio* c. 7,<sup>2</sup>  
omnesque illi qui tenent nullum opus bonum morale posse fieri ab homine  
per solas vires naturae. Probant

1° ex 8° *Sapientiae*: „Nemo potest esse continens, nisi Deus det“,<sup>3</sup> PAUL.  
1° *Ad Corinth.* 10: „Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod  
potestis“,<sup>4</sup> *Psal.* 27: „In te eripiar a tentatione“,<sup>5</sup> Et 29 „Ego dixi in abundan-  
tia mea, non movebor in aeternum: avertisti faciem tuam, et factus sum  
conturbatus“,<sup>6</sup> *Psal.* 117: „Impulsus eversus sum, ut caderem; et Dominus

<sup>1</sup> Potius: GABRIEL VÁZQUEZ: *Commentariorum ac Disputationum in Primam Secundae  
Sancti Thomae tomus II* (1605) disp. 189 cap. 7. Lugduni 1620, p. 296: „Non posse vinci  
ullam nec minimam tentationem sine auxilio gratiae per Christum [...]“.

<sup>2</sup> ROBERTUS BELLARMINUS: *Controversiarum de gratia et libero arbitrio liber V*. In: ID.:  
*Opera omnia*, ed. J. FÈVRE. Parisiis 1873, t. 6, pp. 48sq. Inde et catalogus sequentium  
testimoniorum depromptus est.

<sup>3</sup> Sap. 8, 21 (ut a Bellarmino allegatur).

<sup>4</sup> I Cor. 10, 13 (allegatione abbreviata a Bellarmino).

<sup>5</sup> Potius: Ps. 17, 30.

<sup>6</sup> Ps. 29, 7–8 (modo abbreviato a Bellarmino).

suscepit me“,<sup>7</sup> *Matth.* 6: „Et ne nos inducas in tentationem“,<sup>8</sup> et *ibidem*: „Orate ne intretis in tentationem.“<sup>9</sup>

2° ex synodo Palaestinae apud AUGUSTINUM *epist.* 106 dicente „Fateatur Pelagius tentationum victoriam non ex nobis, sed a Deo venire“,<sup>10</sup> synodo Milevitanae, *epist. ad Innocentium*, apud AUGUSTI. 92, dicente Pelagianos asserere illud „Et ne nos inducas in tentationem“ non esse ita intelligendum, ut indigeamus auxilio Dei, sed quod sufficit nostra voluntas.<sup>11</sup> Similia habet synodus Carthaginiensis in *epist. ad eundem Innocentium* apud AUGUST. 90.<sup>12</sup>

3° ex Patribus INNOCENT. *episto. ad concilium Carthag.* apud AUGUSTINUM 91,<sup>13</sup> ZOSIMO *epist. ad Gall.* c. 9,<sup>14</sup> CAELESTIN. I *epist. ad eosdem* c. 6,<sup>15</sup> AUGUST lib. *De perfectione iustitiae* extremo,<sup>16</sup> lib. *De gratia Christi* c. 27,<sup>17</sup> et *epist.* 106,<sup>18</sup> GREGORIO *Moralium* 7° cap. 27,<sup>19</sup> et *Super Psalmum tertium poenitentialem*,<sup>20</sup> CHRYSOST. *Homil.* 24 in 1 *Ad Corinth.*<sup>21</sup> et 62 *ad popul.*,<sup>22</sup> AMBROS. In *Psalm.* 53,<sup>23</sup> CYPRIANO *Serm.* 7 de oratione Dominica,<sup>24</sup> BASILIO *De libero arbitrio* in principio,<sup>25</sup> et lib. *Moralium summarum* Summa 62 c. 3,<sup>26</sup> HIERONYMO *Dialogo contra Pelagianos*,<sup>27</sup> PROSPERO *Contra Collatorem* c. 25,<sup>28</sup> Autore *Operis*

<sup>7</sup> Ps. 117, 13.

<sup>8</sup> Matth. 6, 13.

<sup>9</sup> Matth. 26, 41.

<sup>10</sup> AUGUSTINUS: *Ep.* ord. novi 186. Allegatio Bellarmini in paraphrasi auctoris.

<sup>11</sup> AUGUSTINUS: *Ep.* ord. novi 176. Allegatio Bellarmini in paraphrasi auctoris.

<sup>12</sup> AUGUSTINUS: *Ep.* ord. novi 175. Cf. *Enchiridion Symbolorum* §§ 226–27, ed. H. DENZINGER / A. SCHÖNMETZER. Friburgi Brisgoviae [etc.] 321963.

<sup>13</sup> AUGUSTINUS: *Ep.* ord. novi 181. Verba ipsa allegata sunt a Bellarmino, *Controversiae*, p. 50a.

<sup>14</sup> Potius, ut Bellarminus ipse locum allegat, in epistola, cuius meminit Caelestinus, Zosimi successor, in epistola sua ad Gallos.

<sup>15</sup> Capitula Ps.-Caelestina (Indiculus). In: *Enchir. Symb.* § 244.

<sup>16</sup> Verba allegata sunt a BELLARMINO: *Controversiae*, p. 50b.

<sup>17</sup> Verba ibidem allegata sunt a Bellarmino.

<sup>18</sup> AUGUSTINUS: *Ep.* ord. novi 186.

<sup>19</sup> Bellarminus allegat verba ex libro 9 c. 37.

<sup>20</sup> Verba allegata sunt a Bellarmino.

<sup>21</sup> Dito.

<sup>22</sup> IOANNES CHRYSOSTOMUS: *Homiliae ad populum Antiochenum*. PG (Migne) 49. Locum non inveni.

<sup>23</sup> Bellarminus allegat verba expositionis Ambrosii in Psalmum 43.

<sup>24</sup> Verba allegata sunt a Bellarmino.

<sup>25</sup> PS.-BASILIUS MAGNUS: *De libero arbitrio sermo*. In: ID.: *Omnia quae ad nos extant opera, ab Iano Cornario medico physico Zuicaviensi interpretata*. Basiliae 1552, pp. 405–07. Testimonium non allegatum a Bellarmino.

<sup>26</sup> Verba allegata sunt a Bellarmino.

<sup>27</sup> Vide Bellarminum pro locis pertinentibus.

*imperfecti in Matthaeum* homil. 37,<sup>29</sup> BONAVENTURA 2<sup>o</sup> tom. Opus. tract. *De resurrectione a peccato ad gratiam*<sup>30</sup>: qui omnes videntur asserere nullam tentationem vinci a nobis posse, nisi gratia per Christum adiutis.

4<sup>o</sup> ex consuetudine Ecclesiae quae inter quotidianas preces nihil magis frequentat quam illud „Deus in adiutorium meum intende etc.“, et in oratione ad Primam<sup>31</sup> dicit „Tua nos hodie salva virtute, ut ad nullum declinamus peccatum etc.“

Secunda sententia inquit ad difficillimas tentationes vincendas necessarium esse redemptionis auxilium, quod quia praesto omnibus adest, dicit semper peccare mortaliter eum qui in re gravi a tentatione, etiam gravissima, superatur. Sic MEDINA <68r> hic art. 4,<sup>32</sup> et VEGA supra referens pro se MAGISTRUM, DIVUM THOMAM, SCOTUM, GABRIELEM et DURANDUM,<sup>33</sup> sed immerito, ut videbimus.

Probatur 1<sup>o</sup> ex Scriptura: *Iob* 41: „Non est potestas in terra quae ei valeat comparari“,<sup>34</sup> *Hierem.* 10: „Non est in homine via eius, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus eius“,<sup>35</sup> *Psal.* 63 „In te inimicos nostros ventilabimus cornu“,<sup>36</sup> 1<sup>o</sup> *Reg.* 2: „Pedes sanctorum suorum servabit [...], quia non in fortitudine sua roborabitur vir“,<sup>37</sup> 2<sup>o</sup> *Ad Corinth.* 12: „Datus est mihi [...] angelus Satanae etc.“,<sup>38</sup> ubi sufficientia ad vincendas tentationes gratiae Dei tribuitur, et 1<sup>o</sup> *Ad Corinth.* 10: „Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.“<sup>39</sup> Aliquae ergo possunt esse tentationes supra vires hominis, sed faciet cum tentatione proventum, id est facultatem tribuet evadendi tentationem, ut possitis tolerare: ita *Glossa* ibi et CYPRIANUS *Ad resurrectionem* lib. 3<sup>o</sup> testimonio 91, ob idque ait ibi tantum unumquemque tentari quantum

<sup>28</sup> Bellarminus allegat caput 35.

<sup>29</sup> Verba allegata sunt a Bellarmino.

<sup>30</sup> Hic tractatus hodie inter spuria numeratur. Bellarminus non facit mentionem huius testimonii.

<sup>31</sup> Scilicet (ut explicat BELLARMINUS: *Controversiae*, p. 51a): in oratione, quae legitur ad horam orationis primam.

<sup>32</sup> Potius: BARTHOLOMAEUS DE MEDINA: *Expositio in Primam Secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis* q. 10 art. 3. Salmanticae 1578.

<sup>33</sup> ANDREAS DE VEGA: *Opusculum XV quaestionum de iustificatione, gratia et meritis* q. 12 (1546). In: *Tridentini Decreti de Iustificatione expositio et defensio libris XV distincta*. Coloniae 1572 / Repr. Ridgewood 1964, p. 849b.

<sup>34</sup> *Iob* 41, 24.

<sup>35</sup> *Ierem.* 10, 23.

<sup>36</sup> Locum non inveni.

<sup>37</sup> I *Reg.* 2, 9.

<sup>38</sup> II *Cor.* 12, 7.

<sup>39</sup> I *Cor.* 10, 13.



potest sustineri et non amplius.<sup>40</sup> 2° *Ad Corinth.* 1 „Nolumus vos ignorare fratres, [...] quoniam supra modum gravati sumus [...]“<sup>41</sup> 1° *Petri* 5: „[...] adversarius vester diabolus etc. [...], cui resistite fortes in fide“.<sup>42</sup> Non dicit „in ratione vel libertate“, sed „in fide“. Unde *Matth.* 26 praecipit Dominus discipulis, ut vigilent ne tentationi succumbant.<sup>43</sup>

Confirmatur: quia Sancti supra citati et multi alii qui eodem modo loquuntur, hoc saltem docent insufficientes nos esse ad difficillimas tentationes superandas.

2° Homo non potest propriis viribus superare difficultatem quae est in diuturna et longa tentatione pro toto tempore quo durat; sed haec difficultas extensiva compensari potest per vehementiam momentaneam tentationis, quia potest dari vehementior et vehementior tentatio atque adeo superans in difficultate quancunque continuationem determinatam: ergo.

3° Qui experitur gravissimam tentationem, tenetur orare petendo a Deo auxilium quo liberetur: ergo sine illo non potest vitari peccatum. Antecedens communiter conceditur. Consequentia probatur, quia cum haec obligatio non oriatur ex praecepto orandi secundum se sumpto, sed ex praecepto, contra quod tentatur, si posset de se et secluso speciali Dei auxilio praeceptum servare, non teneretur implorare auxilium: quia nullum praeceptum obligare potest ad id quod ad sui observationem necessarium non est.

<68v> Ponendum 1° tripliciter posse vinci aliquam tentationem: primo modo succumbendo alteri, ut cum quis, ut auram popularem captet et vir fortis aut continens habeatur, abstinet se a flagitio ad quod alioquin non leviter stimuletur: de quo modo vincendi tentationem non est controversia. Certum enim est posse hominem viribus naturae hoc pacto tentationem vincere, nam re vera hoc non est illum superare, sed ab alia superari. Altero modo potest vinci tentatio ita scilicet, ut non solum peccatum vitetur, sed meritum quoque gratiae et gloriae ex victoria comparetur. Quod fit, cum ex charitate Dei tentationi resistitur. Et de hoc modo certum etiam est viribus naturae haberi non posse. Tertio modo potest vinci tentatio ita, ut nec peccatum admittatur nec meritum gratiae et gloriae comparetur. Et de hoc est praesens difficultas, an viribus naturae possit haberi.<sup>44</sup>

Ponendum 2° tentationem dupliciter posse accidere. Aut enim est levissima quaedam titillatio, quae nomen ‚tentationis‘ absolute et proprie non meretur, de qua concedit P. BELLARMINUS vinci posse viribus naturae. Aut est talis tentatio, quae vere et proprie talis dicitur, quoniam moraliter lo-

<sup>40</sup> Potius: CYPRIANUS: *Testimoniorum libri III adversus Iudaeos* 3, 21. PL (Migne) 4, col. 804B.

<sup>41</sup> II Cor. 1, 8.

<sup>42</sup> I Petr. 5, 8–9.

<sup>43</sup> Cf. Matth. 26, 41.

<sup>44</sup> Paragraphus depromptus est ex BELLARMINO: *Controversiae*, pp. 48b/49a.

quando alicuius momenti est, et de hac praecipue est difficultas, quamvis P. VAZQUEZ nec hanc nec illam viribus naturae posse vinci arbitratur. Et quidem praetereundum non est tentationem oriri posse vel a Daemone aut aliquo alio principio extrinseco, vel a passione nostra. Sive hoc aut illo modo accadat, semper loquimur de tentatione, in qua non absorbetur usus rationis, nam si absorbetur, iam homo non manet pro tunc peccabilis.<sup>45</sup> Supponimus ergo talem esse tentationem, ut usus rationis maneat expeditus. Quibus posit

Dico 1<sup>o</sup> et loquendo in primis de homine in natura integra: Hic quascunque tentationes divisive et collective<sup>46</sup> per longum tempus contra praecepta naturalia, quas Daemon illi extrinsece posset offerre, vincere posset viribus naturae.

Sic omnes statim citandi. Et res est clara suppositis quae controversia praeterita diximus, nam cum eo statu homo haberet summam facilitatem ad bonum nullaque illi passio molestiam gigneret, facillime poterat quamcunque tentationem ab extrinseco proveniente[m] vincere.

<69r> Dico 2<sup>o</sup>: Homo tam in pura quam in lapsa natura habet ex se potentiam moralem ad vincendam quamcunque tentationem contra quodvis naturale praeceptum in quolibet instanti signato, ita ut destitutus omni auxilio speciali Dei mortaliter peccet non vincendo tentationem, quae ad mortale pertrahit. Et in hac conclusione loquimur de quacunque tentatione divisive et quando usus rationis non absorbetur.

Sic D. THOM. in 1.2 q. 109 art. 8 et 9,<sup>47</sup> CAIET. utrobique,<sup>48</sup> SCOTUS, DURANDUS, et GABRIEL locis, quibus eos pro se, quamvis false, citat VEGA,<sup>49</sup>

<sup>45</sup> Cf. THOMAS DE AQUINO: *Summa theologiae* I-II q. 10 art. 3.

<sup>46</sup> Distinctio „divisive / collective“ concernit signum universale „omnes“. Usus istius distinctionis in materia presenti explicat FRANCISCUS ZUMEL: *In Primam Secundae S. Thomae Commentariorum tomus II*. Salmanticae 1594, p. 115a: „[...] ‚divisive‘ et ‚collective‘ [sunt] modi [...] logicales, quibus utimur ad maiorem declarationum rerum. Quocirca ‚posse omnia divisive, et non collective‘ [...] est dicere, quod nullum praeceptum assignabitur determinate et divisim ab aliis, quod non possimus implere; confuse tamen et indeterminate aliquod praeceptum infallibiliter transgrediemur. Quo fit, ut cum dicitur ‚Possumus omnia praecepta divisive implere‘, ly ‚divisive‘ facit terminum, cui adiungitur, supponere distributive, et consequenter sub illo licet descendere ad quodlibet praeceptum determinatum. Cum autem dicimus, non posse omnia collective, ly ‚collective‘ facit terminum, cui adiungitur, supponere confuse, ita ut non liceat sub illo descendere ad determinata praecepta, ostendendo aliquod determinatum, quod non possit implere.“

<sup>47</sup> THOMAS DE AQUINO: *Summa theologiae* I-II q. 109 art. 8–9.

<sup>48</sup> THOMAS DE VIO CARD. CAIETANUS: *Commentaria in Primam Secundae D. Thomae*. In: THOMAS DE AQUINO: *Opera omnia* ed. Leon. t. 7. Romae 1892, pp. 303–08.

<sup>49</sup> Ea reprobatio Vegae desumpta est ex LUDOVICO MOLINA: *Liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia, providentia, praedestinatione et reprobatione Concordia* (1588), ed. J. RABENECK. Matritiis 1953, p. 102.

SOTUS 1° *De natura et gratia* c. 22 conclusione 2, 4 et 5 et sub finem capitis corol. 2 et 3,<sup>50</sup> RUARDUS TAPER *art. de libero arbitrio* fol. 316,<sup>51</sup> ALBERTUS PYGIUS lib. 2, 3 etc. *De libero arbitrio*,<sup>52</sup> BONAV. in 2 dist. 28 art. 2 q. 2,<sup>53</sup> AEGID. q. 1 art. 4.<sup>54</sup> Est quidem DIVI ANSELMI lib. *De libero arbitrio* c. 6, 7, 8, 9 et 10,<sup>55</sup> et lib. *De concordia praescientiae, praedestinationis et gratiae cum libero arbitrio* c. 1,<sup>56</sup> HIERONYMI ad finem lib. 3° *Dialogorum contra Pelagianos* sub persona Attici,<sup>57</sup> BASILII in *Sermone de libero arbitrio*,<sup>58</sup> et aliorum. Probat:ur:

1. Tentationes, quantumvis graves sint, dum non absorbent usum rationis, non tollunt libertatem adhuc considerato homine intra limites purae et lapsae naturae. Ergo viribus naturae illas potest vincere. Alias liberum non relinquerent usum rationis, cum non esset indifferentia ad utrumlibet, sed necessitaretur ad alteram partem, scilicet ad peccatum.<sup>59</sup>

2. Homo in natura lapsa easdem vires habet, quas haberet, si conditus esset in pura tantum natura prout a philosopho morali considerari potest absque eo, quod Deus statuisset conferre aliquam gratiam. Sed tunc dici non potest hominem talis naturae futurum, ut nec ad instans posset frenare passiones, quantumvis vehementer insurgerent contra rationem, aut gravis difficultas se offerret in cohibenda voluntate a malo. Ergo.<sup>60</sup> Minor patet ex ARISTOTELE parte 3 *Ethic.* c. 1, qui ductus naturali ratione dixit hominem imminente etiam morte posse continere atque ad cohibendum voluntatis consensum obligari eaque ratione, si consentiat, peccare.<sup>61</sup> Et certe ARIST. nihil de gratia redemptionis cognoscebat, sed de natura tantum. Ratio ergo

<sup>50</sup> DOMINICUS SOTUS: *De natura et gratia* 1, 22. Parisiis 1549, ff. 84v–93r.

<sup>51</sup> RUARDUS TAPPER: *Explicatio articulorum venerandae facultatis S. Theologiae generalis studii Lovaniensis circa dogmata Ecclesiastica ab annis triginta quatuor controversa, una cum responsione ad argumenta adversariorum*. T.I. Lovaniae 1555, p. 322. Testimonium depromptum est ex MOLINA: *Concordia*, p. 105.

<sup>52</sup> ALBERTUS PIGHIUS: *De gratia et libero hominis arbitrio*. Coloniae 1542.

<sup>53</sup> BONAVENTURA: *Opera omnia t. 2: Commentaria in secundum librum Sententiarum*. Ad Claras Aquas 1885, p. 685.

<sup>54</sup> Potius: AEGIDIUS ROMANUS: *II Sent.* dist. 28 q. 2 art. 2 dub. 1. Venetiis 1581 / Repr. Frankfurt a.M. 1968, p. 375a.

<sup>55</sup> ANSELMUS: *De libertate arbitrii. Opera omnia*, ed. F.S. SCHMITT, vol. 1. Seckau 1938 / Repr. Stuttgart-Bad Cannstatt 1968, pp. 217sq.

<sup>56</sup> ANSELMUS: *De concordia praescientiae et praedestinationis et gratiae Dei cum libero arbitrio*, op. cit. vol. 2. Romae 1940 / Repr. 1968, pp. 246sq. Utrumque testimonium Anselmi depromptum est ex MOLINA: *Concordia*, p. 104.

<sup>57</sup> HIERONYMUS: *Dialogi contra Pelagianos* III n. 12. PL (Migne) 23, col. 581B. Testimonium depromptum est ex MOLINA: *Concordia*, p. 107.

<sup>58</sup> PS.-BASILIUS MAGNUS: *De libero arbitrio*, ut supra.

<sup>59</sup> Cf. MOLINA: *Concordia*, p. 108 (secunda ratio).

<sup>60</sup> Cf. MOLINA: *Concordia*, pp. 108sq. (tertia ratio).

<sup>61</sup> ARISTOTELES: *Eth. Nic.* III, 1, 1110a26. Testimonium excerptum est ex MOLINA: *Concordia*, p. 109.

id ipsum persuadet, nam si posita quavis gravissima tentatione homo viribus naturae non potest illam vincere, rogo, unde haec impossibilitas proveniat: an ex defectu physicae potentiae, an ex moralis defectu? Non ex primo: <69v> Nam eademmet tentatio ob inanem gloriam aut alium titulum humanum fatentur adversarii posse vinci viribus naturae, quod esse non posset, si talis esset difficultas, ut ad illam vincendam deesset potentia physica. Nam difficultas, quae potentiae physicae, ut physica est, respondet, eadem omnino est in tentatione, quae vincitur ob motivum humanum, et in ea circa eandem omnino materiam et rem, quae vincitur ob motivum honestum. Neque etiam impossibilitas potest provenire ex defectu moralis potentiae, nam vel posita tali tentatione stando intra limites naturae manet libertas in voluntate ad illam vincendam, vel non. Si non manet, ergo stando praecise intra limites naturae non peccabit homo illi succumbens: ergo consensus in illam non erit contra naturam hominis ut homo est. Si autem manet libertas, manifeste patet ex huius definitione posse viribus naturae superari neque deesse potestatem moralem ad illam vincendam.

Dices stante vehementi tentatione succumbere illi non esse actum contra naturam hominis ut homo est.

Sed hoc tam plane est falsum et absurdum, ut nec amens possit illud dicere. Nam sequitur inde lumine naturae non constare malum esse hominem libidini vehementi tentatum adulterare, quandoquidem lumen naturae nihil cognoscit de gratia saltem quantum ad hoc, ut possit colligere paratam esse a Deo et promissam ab illo omnibus hominibus, ut, si velint, tentationes superent.

Et confirmatur hoc ipsum: Insurgente vehementi tentatione aut est libertas in voluntate ad frenandum illam stando intra limites naturae et cum solo concursu generali Dei, aut non. Si primum: ergo poterit viribus naturae vincere tentationem: ergo. Si secundum: ergo homo relictis suis naturalibus viribus cum solo concursu generali Dei non dominabitur secundum partem superiorem inferiori, sed e contra pars inferior superiori dominabitur hanc necessitando ad consensum iuxta ipsius inferioris motum. Sed hoc contra naturam hominis est directe, quae postulat, ut portio superior de se potens sit inferiorem frenare. Alias illa superior non esset in gubernatione, sed inferior: ergo.<sup>62</sup>

<70r> 3. Ex opposito nostrae conclusionis sequitur homine condito in pura natura, si nullam tentationem viribus suis superare posset, fore ut non peccaret, quoties tentationi succumberet, ut probatum est. Ex quo fieret, ut neque dignus esset poena neque supplicio aliquo iuste a reipublicae moderatoribus infligendo: nam ubi culpa deest, iusta poena infligi non potest.<sup>63</sup> Ex quo etiam fit, ut modo omnes infideles invincibiliter ignorantes totum negotium gratiae non possint licite punire alteros infideles sibi subditos de-

<sup>62</sup> Cf. MOLINA: *Concordia*, p. 109 (quarta ratio).

<sup>63</sup> Cf. MOLINA: *Concordia*, p. 110 (quinta ratio).

linquentes ignorantes totum negotium gratiae. Nam rogabo ab istis: Cur illos puniam? Respondebunt: quia delinquant. Contra: Non delinquit, qui non habet potentiam ad vitandum delictum, ut amens quemvis occidat. Respondebis: habere potentiam. Contra: Unde constat infideli isto habere delinquentem hunc potentiam, cum neque cognoscat negotium gratiae neque possit scire viribus naturae inesse potentiam tali delinquenti, quandoquidem, per te, haec potentia viribus naturae est impossibilis, et quod non potest esse, non potest sciri, iuxta commune dictum „Quod non est, non scitur“. Aut si scit habere istam potentiam viribus naturae: vel scit false, vel scit vere. False non: non enim quod false cognoscitur, scitur, cum potius sit error. Si autem vere scitur, ergo obiectio <MS.: obiectus>: Ita est in se: ergo adest viribus naturae potentia ad non delinquendum.

4. Oppositum nostrae conclusioni maxime extenuat donum gratiae redemptionis et mysterium Incarnationis: non ergo potest esse verum.<sup>64</sup> Probatur antecedens. Nam dato illo dicendum esset post lapsum primi parentis, si Deus non statuisset conferre generi humano redemptorem, sed relinquere illud sicut res caeteras in suis viribus naturalibus cum solo concursu generali, nullam transgressionem praecepti provenientem ex tentatione posset homo facere, quae haberet rationem culpae, sed tantum illa transgressio, quae proveniret absque tentatione. Hoc autem dato manifeste fit longe pauciores culpas futuras tunc fuisse in genere humano, quam si per Christum non<sup>65</sup> fuisset redimendum, atque adeo, si Christi meritis post lapsum Adae non fuissent homini auxilia gratiae praestita, quandoquidem praeceptorum transgressiones provenientes ex tentatione habiturae non fuissent tunc rationem culpae. Fit etiam ab illis culpis, sicut tunc futurae non erant, ita neque simpliciter hominem fuisse redimendum ab illis, imo neque redemptore indiguisse ad eas, sed solum ex hypothesi, quod redemptor illi esset conferendus, cuius occasione illae culpae et futurae et multiplicandae erant. Fit item non solum genus humanum a longe paucioribus peccatis fuisse liberandum per Christum, quam re ipsa sit liberatum, sed etiam auxilia gratiae per Christum, quae generi humano ad praecepta implenda conferuntur, occasionem esse longe maioris <70v> miseriae et multo plurium peccatorum tam fidelibus quam infidelibus, illis praecipue, qui Christum invincibiliter ignorant. Nam si talia auxilia illis non conferrentur, non peccarent, quoties succumberent tentationibus. Cum vero istae non essent, facile praecepta servare possent.

<sup>64</sup> Totum argumentum fere verbatim depromptum est ex MOLINA: *Concordia*, pp. 110sq., qui eam sextam rationem difficulter enodari fatetur (p. 118).

<sup>65</sup> Ly „non“ omittendum esse iam J. Rabeneck in suo apparatu critico coniecit in locum respectivum (p. 110, l. 21) Molinae. Quia autem haec coniectura bis exercenda esset („non fuissent“ in linea sequenti), convenientius videtur ly „non“ retinere et istius loco ly „quam“ delere.



Tandem sequitur ex proposita sententia, quod si gratiae auxilia Deus non daret, multo diuturnius homines se a peccato continerent, nam in omnibus tentationibus securi erant se peccare non posse, cum victoria illis esset impossibilis.<sup>66</sup> Cum vero non adesset tentatio, facile possent homines servare praecepta occurrentia, cum non essent de re notabiliter difficili. Imo sequitur tunc Daemonem nullo modo aliquem tentaturum <MS.: tentarum>, cum sciret se nihil inde mali in nos elicere, quandoquidem quamvis laberemur, non esset nobis imputandum ad culpam. Quare potius Daemon procuraret, ut nulla nobis se offerret tentatio, ne per illam auferetur a nobis potestas peccandi, unde aliquando oriretur peccatum, quia homo libere illud vellet: quod in tentatione non possit accidere.

Ultimo: Certum est omnes, qui modo succumbunt tentationi in materia mortali, peccare mortaliter, et tamen non est certum omnes illos habere speciale auxilium Dei excitans illos ad victoriam: ergo. Minor probatur: Nam hoc speciale auxilium Dei deberet esse aliqua specialis illuminatio, motio seu excitatio, qua homo excitaretur et confortaretur ad vincendum. Sed experientia constat multos vehementi occasione et tentatione oblata sic ferri in obiectum propositum, ut nullum interiorem motum sentiant quo retrahantur, nec specialem illuminationem, imo saepe nec remorsum conscientiae. Ergo. Atque hinc fit numquam infallibile esse, quod ex vi tentationis, si speciali auxilio careat, homo hic et nunc peccabit <MS.: peccavit>, nam in quacumque tentatione divisiva homo sit liber et possit vincere, si vult. Nullo modo est omnino infallibile ex vi tentationis peccaturum esse. Verum est, quod multoties continget moraliter certum esse aliquem hominem suppositis peculiaribus circumstantiis vincendum esse a tentatione aliqua. Tamen certum non est quemcumque hominem esse vincendum, imo certum moraliter est multos homines cum solo generali auxilio illam superaturos.

Dico 3<sup>o</sup>: Multae possunt esse tentationes quibus positus moraliter certum sit quemcumque hominem in natura pura et lapsa speciali auxilio destitutum lapsurum in peccatum pro instanti quo tentatur vel saltem pro brevissimam et momentaneam continuationem.

Probatur

<71r> 1<sup>o</sup> ex magna Daemonis potentia et astutia, et fragilitate hominis auxilio speciali destituti, sensitivique appetitus robore. Ex his enim simul sumptis moralis certitudo sumi potest quemcumque hominem posita summa Daemonis tentatione, si gratia Dei speciali careat, vincendum esse.

2<sup>o</sup> probant hanc conclusionem argumenta secundum et tertium pro secunda opinione. Atque ad vincendas has tentationes in casibus, in quibus concurrunt circumstantiae dictae, potest dici habere hominem quandam impotentiam moralem, non quidem simpliciter nec quae liberet hominem ab obligatione, incurrendi in peccatum, si tentationi consenserit, sed quae so-

<sup>66</sup> Cf. MOLINA: *Concordia*, p. 111 (septima ratio).

lum sit impotentia in hoc sensu, quod fere semper homo non vincit. Quae ‚impotentia media‘ dici solet, de qua dub. 3 dicemus.

Ad argumenta primae sententiae:

Et ad primum respondemus solum probare non posse victoriam tentationum cum merito gratiae, aut gratiae et gloriae, nisi sit ex gratia, et quod non possit vinci semper omnis tentatio, nisi ex gratia: quod concedimus. Qua autem ratione intelligatur haec impossibilitas: infra dub. 3 <MS.: 6>. Ex quo patet ad secundum et tertium.

Ad quartum respondetur orationes illas et praeces Ecclesiae dirigi ad Deum, ut nos ab omni semper tentatione liberet, et ut vincamus cum merito: quod ex nobis esse non potest.

Ad primum secundae [*sc.*: sententiae] respondetur sicut ad primum primae, et quod solum probat tentationes in ordine ad supernaturalia naturae viribus vinci non posse. Unde fit, ut exhortemur a Petro ad vincendum ex fide, nam aliter nulla victoria esset meriti, vigilare autem et orare iuvenmur, ut nunquam succumbamus, et ut vincamus ad praemium: quod viribus naturae esse non potest.

Ad confirmationem respondetur Sanctos solum velle ultimum conclusionis secundae.

Ad secundum negatur minor. Nam sicut intentio et extensio sunt diversae dimensiones nec possunt inter se comparari, ita et difficultates ex illis provenientes. Unde quantumcunque crescat intentio durante usu rationis, semper difficultas erit minor et impossibilitas inferior ea quae in perseverando reperitur, cum ad illam vincendum sufficiat unica momentanea vigilia rationis, quam nunquam erit omnino impossibile etiam vehemensissima tentatione existente semel vel iterum habere, sicut impossibile est in illa perseverare.

Ad tertium respondetur. Distinguo consequens: „non potest“ moraliter, ut dixi in fine secundae conclusionis: concedo. Est enim dicere, quod est in morali periculo et proxima occasione. Si autem intelligas, quod „non possit“ absolute ex defectu moralis potentiae ut dicit plenam libertatem, aut quia illud sit omnino impossibile, ita ut <71v> infallibile omnino sit, quod vincetur: nego.

### *Dubium 2*

*Utrum difficultas ex continuatione seu perseverantia proveniens reddat impossibilem singularem observantiam alicuius praecepti propriis viribus*

Sensus dubii est, an supposita omni perseverantia et observatione omnium praeceptorum, quae antea occurrunt, propriis viribus facta possibile sit semper observare praeceptum hic et nunc occurrens. Et loquimur praecipue de praeceptis non continentibus summam difficultatem, ut difficultatem praecise provenientem ex continuatione examinemus. Quid autem dicendum sit, si utraque difficultas coniungatur, ex dicendis et dictis constabit.

Atque in hac difficultate sunt, qui affirmant de homine in pura et lapsa natura, quod pro hoc, quod propriis viribus perseveret in observandis praeceptis, eo aliquando pervenire, ut iam vires deficient ad observandum praeceptum occurrens, pervenireque citius, quo praecepta ante observata et nunc observandum difficiliora fuerint.

Probant 1<sup>o</sup>: Perseverantia in praeceptis servandis adducit secum specialem difficultatem praeter eam, quam dicit observantia praeceptorum, si divisive sumantur et sine perseverantia, ita ut difficilior sit praecepta omnia per unum annum servare quam in spatio decem annorum totidem, aut plura praecepta, violando interdum alia, per breviora spatia. Ergo quo maior est perseverantia, minores erunt vires hominis ad praecepta denuo occurrentia. Ergo usque pervenietur, ut ad praeceptum denuo occurrens vires deficient. Utraque consequentia est clara. Antecedens ab omnibus conceditur neque negari potest, cum ratione illius difficultatis impossibile sit servare illa praecepta continue et sine interruptione per annum, v.g., cum tamen possibile sit eadem cum illis interruptionibus servare, et de facto servantur. Plura enim praecepta servat quisque viribus naturae per totam vitam, quam sunt, qui, regulariter loquendo, occurrunt in uno anno.

Confirmatur 1<sup>o</sup>: Dum quis magis perseverat, magis fatigatur in continua praemeditatione: ergo eo usque perveniet, ut amplius praemeditari non possit nec voluntas opus praeceptum, ad quod praemeditatio <72r> requiritur, efficere. Antecedens probatur: tum quia intellectus in sua operatione dependet ab imaginativa, quae proculdubio lassatur per continuationem actuum, maxime circa obiecta contraria bono sensibili: ergo licet ratio de se indefatigabilis sit, ratione huius dependentiae lassabitur et deficiet. Tum etiam, quia ex defectu rationalis potentiae ad semper et in omni actu occurrente praemeditandum colligunt omnes impotentiam hominis ad diu perseverandum sine peccato. Sed hoc nullo modo colligi posset, si ratio nullo modo defatigaretur. Ergo.

Confirmatur 2<sup>o</sup>: Homo lapsus comparatus cum homine integro habet se sicut aeger respectu sani. Sed talis comparatio non stat in alio, nisi in hoc, quod sicut infirmus non potest omnia quae sanus, sed aliqua tantum, ita perveniat ad aliquod opus, quod ex suppositione aliorum praecedentium non possit in infirmitate efficere, cum tamen illud posset in integra natura. Ergo.

2<sup>o</sup> Vehementia et intentio alicuius tentationis tanta esse potest, ut moraliter ex ea sequatur lapsus, ut dictum est: ergo repetitio tentationum tanta esse poterit, ut si quis ab initio resistat et resistendo perseveret ad aliquam denique tentationem, perveniat ad quam infallibiliter sequatur lapsus seu non resistentia, atque adeo ad quam deficient vires, quia huiusmodi infallibilitas ad singularem actum non nisi ex defectu virium sumi potest. Probatur consequentia: quia difficultas continuationis, etiam ubi non adsunt tentationes, et maioris <MS.: maius> et altioris rationis [*supple*: est] quam difficul-



tas ex vehementia tentationis proveniens: ergo maiorem impossibilitatem causabit.

Ponendum difficultatem perseverantiae in abstinencia a peccato, quae quidem specialis difficultas est ab omni alia proveniente, vel ex tentatione, vel ex natura seu conditione obiecti, consistere non in hoc, quod secundus actus difficilior sit supposito primo quam non supposito (et sic de singulis), sed in hoc, quod est in tanto numero actuum et longo temporis decursu nunquam deficere, ut sequenti dubio fusius dicetur. Et haec est difficultas continuae praemeditationis, quam inquiunt Doctores impossibilem esse homini viribus naturae. Nec enim intendunt, quod deficient aliquando vires rationis ad praemeditandum. Alias enim non inde inferrent, quod homo peccaret, si gratia secluderetur, sed potius deberent inferre, quod excusaretur a peccato. Intendunt ergo dicere, quod non praemeditabitur, quia in tanto tempore et tot praeceptorum occurrentiis infallibiliter semel vel iterum ab ea vigilia cessabit, quam habere potest et tenetur. Quo posito

Dico 1<sup>o</sup>: In statu naturae integrae homo viribus naturae posset vitare quamcunque <72v> difficultatem provenientem ex perseverantia observationis praeceptorum naturalium. Sic omnes, qui tenent conclusionem secundam statim ponendam, cuius rationibus a fortiori haec probatur. Et patet, nam tunc illa difficultas futura erat homini ex perseverantia proveniens; unde nihil esset ex hac parte illi impossibile.

Dico 2<sup>o</sup>: Loquendo de homine in statu naturae lapsae et purae, difficultas ex perseverantia proveniens, dum ratio manet integra, non tollit potentiam moralem ad observandum quodcunque praeceptum singulare occurrens et vincendam quancunque tentationem. Unde quantumcunque quis viribus propriis perseveraverit, poterit hic et nunc perseverare praeceptum naturale servando.

Colligitur ex DIVO THOMA hic art. 8, maxime in responsione ad primum.<sup>67</sup> Eo enim ipso, quod absolute asserit posse hominem sine gratia vitare singulos actus peccati, dicit, quod singularis observatio praecepti est illi possibilis <MS.: impossibilis>, sive alii actus praecesserint, sive non. Idem vel affirmant vel supponunt omnes Doctores, cum nunquam impossibilitatem perseverandi reducant ad impossibilitatem servandi aliquod praeceptum aliis servatis, prout facile esset, si eam opinionem haberent.

Probatur:

1. Quia ex opposita [*sc.* sententia] sequitur posse hominem propriis viribus vitare omnia peccata collective. Patet sequela: Potest illa vitare, donec habet vires ad illa vitanda. Potest etiam ea vitare, postquam ad illum <MS.: illud> terminum pervenit, in quo non potest vitare: quia non servando non peccat. Ergo nec potest dici, quod tunc peccat, quia non utitur gratia Dei,

<sup>67</sup> THOMAS DE AQUINO: *Summa theologiae* I-II q. 109 art. 8 ad 1.

quam vel dat vel paratus est dare, quia suppono, quod Deus non vult dare talem gratiam. Et id probat argumentum, quod sine illa posset homo perseverare per totam vitam sine peccato.

2. Per exercitium bene operandi non solum vires non minuuntur, verum etiam augentur, cum habitus vitiosi corrumpantur et studiosi generentur. Ergo facilius erit adimpletio praecepti singularis post tale exercitium.<sup>68</sup>

3. Nulla potest fingi lassitudo in bene operando, nisi ratione virium corporalium, v.g. imaginativae etc.<sup>69</sup> Potentiae enim spirituales incapaces sunt huius lassitudinis.<sup>70</sup> Sed omnis lassitudo ex potentia corporea proveniens vel tollit sufficientem advertentiam rationis aut potentiam ad advertendum: et tunc nihil magis contra nos, quam si dicat, solum hoc modo tollere potentiam ad servanda praecepta; – vel non tollit: et tunc manifestum est non tollere <73r> moralem potentiam a voluntate, sicut eadem ratione probavi nullam tentationem posse illam tollere. Ergo.

Confirmatur: Licet vires corporeae continue et sine cessatione operando lassentur et tandem deficient, tamen si discrete operentur et competentes adsint tentationes, potius roborantur et habiliores redduntur, non solum ad eandem, sed etiam ad diuturniorem operationem quam antea. V.g. potentia progressiva per competens exercitium hodie factum habilior redditur ad cras idem, imo et maius faciendum. Sed sic se offerunt praecepta in vita humana regulariter loquendo, ut non opus sit perpetuo esse in continua actuali vigilia rationis atque adeo in continua vigilia actuali imaginationis et aliorum praeceptorum. Nunc enim ista praecepta, et statim alia se offerunt, in quibus bonum etiam sensibile procuramus aliquando licite, aliquando etiam cum peccato veniali. Ergo per hoc, quod modo circa bonum rationis se exercent imaginatio, potius habilior manet, ut cras similiter se exercent et diutius maneat in tali exercitio, ab aliisque actibus abstineat, qui sunt peccata.

Tandem: quia ridiculum videtur asserere, quod si quis tempore anteacto aliquod peccatum commiserit, poterit nunc praeceptum servare: quod non poterit, si antea non peccavit.

<sup>68</sup> Cf. MOLINA: *Concordia*, pp. 122sq. Opposita sententia tenet, quod „sine gratia non possumus vitare peccatum sine magno conatu. Ad magnum autem conatum magis sequitur laxatio virium naturalium quam assuefactio [...]“ (AEGIDIUS ROMANUS: *II Sent.*, p. 376a).

<sup>69</sup> Cf. DOMINICUS BÁÑEZ: *Comentarios inéditos a la Prima Secundae de Santo Tomás* (1583/84), ed. V. BELTRÁN DE HEREDIA. Salmanticae 1948, t. 3, p. 96: „Cuius rei [sc. quod homo semper se contineat] moralis impossibilitas non aliunde rationem habet quam ex infirmitate et lassitudine humani corporis, quod quidem dum eius concupiscentiis resistitur, debilitatur et humores perturbantur, ac proinde interdum maiores passiones solent insurgere, quibus homo [...] resistere non valet moraliter loquendo.“

<sup>70</sup> Analogia virium corporalium et spiritualium ab Augustino suggesta non solum Molinae, sed etiam uno aut alteri ex discipulis Augustini displicuit, e.g. VÁZQUEZ: *In Primam Secundae disp.* 189 n. 166, op. cit. p. 318.

Dico 3<sup>o</sup>: Nunquam ex praecisa ratione perseverantiae praeteritae est infallibile aut moraliter certum hominem violaturum singulare praeceptum hic et nunc occurrens ad modum, quo dixi id esse certum posita vehementi tentatione.

Patet, quia non est, unde colligi possit talis certitudo, sed potius, unde oppositum probabiliter saltem colligatur, cum ista facilior sit per praecedens exercitium, et passiones magis domaverit <MS.: domuerit>, et cum nihil sit praesens et praeteritum quod non potius augeat consensum in bonum quam in malum. Et hinc est, quod praecisa difficultas ex perseverantia proveniens nullo modo reddat impossibilem observantiam singularis praecepti hic et nunc occurrentis.

Ad argumenta:

Et ad primum patet ex notabili, et similiter ad confirmationem primam. Negatur enim antecedens, et de utraque probatione constat iam, in quo sensu habeat verum, et in quo non.

Ad secundam confirmationem respondetur exemplum illud tantum tenere in hoc, quod sicut infirmus non potest omnia collective quae sanus, ita homo in pura et lapsa natura respectu integri, non vero quoad modum impossibilitatis. Exemplum enim est de re, in qua non est deficere, nisi quia vires hominis deficiunt, et quae illas paulatim consumit tam in sano quam in aegro. Et ita necesse est, quod in isto <73v> citius consumat, quia minores sunt. At in proposito difficultas in operando non provenit ex defectu virium, nec ullo modo vires diminuuntur per operationem sicut nec diminuerentur in homine integro, et ita non magis est pervenire ad aliquod opus, ad quod in particulari vires deficiunt, in natura lapsa quam in integra.

Et per hoc patet ad secundum. Non enim convincit, quod sit perveniendum ad aliquam tentationem, ad quam infallibiliter sequatur lapsus, sed quod ex continuatione ipsa, in qua – et non in speciali actu – difficultas illa specialis consistit, infallibiliter sequatur lapsus. Quomodo autem haec inter se cohaereant, sequens dubium explicabit.

### *Dubium 3*

*Utrum homo viribus naturae possit vincere difficultatem longae continuationis seu perseverantiae in servandis omnibus praeceptis naturalibus*

Sensus est, an possit omnia collective servare, proceditque dubium ex vi solius continuationis, omissis aliis difficultatibus saltem non crebro occurrentibus prout sunt vehementissimae illae tentationes, de quibus supra. Ex ibi enim dictis et hic dicendis patebit, quid sentiendum sit, si omnis huiusmodi difficultas adiungatur. Estque in praesenti difficultate

Prima opinio asserens sine ullo prorsus auxilio gratiae redemptionis, sed solum viribus naturae posse hominem omnia eiusmodi praecepta collective

servare, omnia, inquam, naturalia. Sic DURANDUS in 2 d. 28 q. 4,<sup>71</sup> GAB. quaestione unica art. 2 conclusione 3,<sup>72</sup> DIVUS THOMAS q. 1 art. 2,<sup>73</sup> SCOTUS quaestione unica,<sup>74</sup> licet forte hi duo magis intendant secundam sententiam statim ponendam, ABULENSIS quantum ad statum purorum naturalium, etsi quantum ad naturae lapsae statum neget *In cap. 19 Matth.* quaestione 178.<sup>75</sup>

Probatur

1° ex naturali inclinatione hominis ad bonum honestum potius quam ad sensibile. Qua posita cur non poterit semper sequi maiorem inclinationem et non minorem?

2° In bono sensibili peccaminoso potest homo diu perseverare: ergo et in honesto, cum ad hoc magis inclinetur.

3° Tenetur homo servare omnia praecepta: ergo potest. Alias obligabitur ad impossibile. Nec valet dicere, quod potest singula, quia saltem sequitur, quod per collectionem omnium praeceptorum obligatur ad impossibile.

4° Servato primo praecepto facilius servatur secundum, et sic reliqua per totam vitam: ergo potest omnia collective, quia hoc nihil aliud est quam servare <74r> prout occurrunt unum post aliud: ergo posse servare collective nihil aliud est quam sic servare.

Confirmatur 1°: Bene sequitur posse sine auxilio <MS.: aequo> pertransire tantum spatium et post illud incessanter aliud ei aequale, et sic de singulis usque ad centum milliaria: ergo posse centum milliaria pertransire: ergo similiter in proposito. Eadem enim est ratio.

Confirmatur 2°: In natura integra ideo posset homo servare omnia praecepta collective, quia posset servare eo modo quo occurrerent, scilicet secundum post primum. Idem est modo. Ergo.

Confirmatur 3°: Ut se habet potentia hominis lapsi ad divisive servanda, respectu potentiae hominis integri ad servanda praecepta divisive, sic se ha-

<sup>71</sup> DURANDUS A S. PORCIANO: *II Sent.* q. 4 n. 6. Venetiis 1571 / Repr. Ridgewood 1964, f. 180a.

<sup>72</sup> GABRIEL BIEL: *Collectorium circa IV libros Sententiarum*, ed. W. WERBECK / U. HOFMANN. Tubingiae 1973–84, t. 2, p. 539.

<sup>73</sup> THOMAS DE AQUINO: *II Sent.* dist. 28 q. 1 art. 2, ed. FRETTE / MARÉ. Parisiis 1873, p. 377b. Cf. ZUMEL: *In Primam Secundae*, p. 111a: „Quid autem senserit D. Thomas de hac re, non satis constat inter eius discipulos. Nam in 2 dist. 28 quaest. 1 docet expresse sententiam Durandi, nempe quod potest vitare omnia peccata etc. [...] Et videtur mihi dicendum cum Caietano, quod Sanctissimus Praeceptor retractavit et mutavit sententiam in melius.“

<sup>74</sup> IOANNES DUNS SCOTUS: *Ord. II* dist. 28 q. 1. *Opera omnia* ed. Vat., t. 8, 2001, pp. 291sq.

<sup>75</sup> ALPHONSUS TOSTATUS: *In Matthaeum* cap. 19, *Opera omnia*, Venetiis 1615, t. 5, cum limitatione apud ZUMEL: *In Primam Secundae*, p. 100b. Idem catalogus testimoniorum, cui aliquod Iacobi Almaini adiunctum est, reperiri potest in FRANCISCO SUÁREZ: *De gratia Dei P.I.*, lib. 1 c. 26 n. 1, *Opera omnia*, Parisiis 1856–78, t. 7, p. 507a. Suárez notanter tribuit hunc Semipelagianismum aliquibus „ex Scholasticis antiquis“, id est ante Concilium Tridentinum scribentibus.

bet potentia hominis lapsi ad servanda collective, respectu potentiae hominis integri ad servanda eadem praecepta collective. Sed potentia hominis integri ad servanda divisive solum excedit nostram in hoc, quod posset facile reduci in actum, in nobis vero difficile. Ergo similiter potentia ad servanda omnia collective in homine integro solum excedet nostram in facilitate. Atque adeo poterimus omnia collective servare, quamvis difficile.

5° Difficultas perseverandi in bono est difficultas operis. Ergo si in nullo opere in particulari <MS. *add.*: non> est specialis difficultas per coniunctionem ad alia opera, nulla potest imaginari specialis difficultas perseverantiae: ergo nec ratio reddi, ob quam impossibile sit eadem praecepta cum perseverantia servare, cum, si interruptio intercederet, aliqua servare possemus.

Confirmatur: Sicut praecepta observanda et observationes ipsae possunt sumi collective et divisive, ita et difficultates in talibus observationibus repertae <MS.: reperta>: ergo sicut per hoc, quod collective sumantur praecepta et observationes, non consurgit aliquod speciale praeceptum vel observatio, quae in ipsis divisive sumptis non sit, ita nec per hoc, quod difficultates collective sumantur, consurget specialis difficultas.

6° Homo potest propriis viribus servare aliqua praecepta collective per breve tempus. Ergo vel poterit per breve tempus quancunque collectionem, vel assignandus est aliquis terminus intrinsecus aut extrinsecus. Inter haec enim duo non est medium, cum posse omnia sit non habere terminum. Hoc secundum dici non potest: alias non posset particulare praeceptum servare. Ergo.

Confirmatur: Si potentia ad servandum praecepta habet aliquem terminum ultra quem progredi non potest, a parte rei erit aliquod indivisibile saltem <74v> indeterminatum, post quod non habeat homo potentiam ad observandum praeceptum particulare occurrens, et ante quod habebat ad omnia etiam collective. Sed hoc non est minus inconveniens, quam si instans illud determinatum esset. Nec minus probant rationes factae in praecedenti dubio hoc esse inconveniens. Ergo.

7° Intelligi nequit, quod aliquis habeat potentiam moralem finitam ad id quod, positis omnibus requisitis ad agendum,<sup>76</sup> repugnat fieri ab ipso. Ergo intelligi nequit, quod implicet collective servare a parte rei omnia praecepta, ad quae collective servanda habet homo potentiam moralem. Alias idem haberet simul et non haberet potentiam moralem respectu eiusdem.

8° Si assignemus quoddam longum tempus, cuius media pars sit breve tempus (hoc enim saltem adeo signari et cognosci potest: sit ergo annus v.g.): tunc, si in medio violet aliquod praeceptum, potest per tempus subsequens usque ad complementum anni reliqua observare. Ergo poterit, licet non peccet, quia peccatum non reddit potentiam habilem.

<sup>76</sup> Haec clausula in idiomate scholastico respicit constitutionem actus primi et ingreditur definitionem liberi arbitrii vulgatam ab saeculo XIV usque ad XVII, vz. *positis omnibus requisitis ad agendum posse agere, et non agere*.



Confirmatur: Si praeceptum, quod formaliter violatur, violaretur materialiter propter ignorantiam invincibilem, possent servari <MS.: servare> omnia subsequencia, quia difficultas non oritur ex inclinatione ad peccatum. Ergo iam absque peccato stat observantia omnium praeceptorum. Ergo etiam si violaverit formaliter quis aliquod praeceptum, poterit in reliquo servare omnia.

Tandem: Si homo viribus naturae omnia peccata non potest vitare, fit dari tantum tempus, in quo toto non possit, et quod in minori possit, vel dari tantum, in quo toto possit, et quod in maiori non possit. Hoc est falsum. Ergo. Probatur maior: Sumo quatuor annos, in quibus integris homo non potest viribus suis esse absque peccato, et auferatur ab eis unus. Potestne in reliquis? Non. Auferatur rursus aliquid, et sic usque ad unam horam. Fietque, ut vel deveniatur ad tempus, in quo iam possit, vel quod in nullo possit. Nec valet dicere neminem scire, quantum sit tempus, intra quod non possit, vel possit homo: nam de se illud est determinatum et determinate cognitum a Deo, licet nos id ignoremus. Si vero determinatum tempus detur, intra quod possit homo servare omnia praecepta, et ultra quod non possit, fiet, quod actio singularis, quae immediate post illud tempus sequetur, erit peccatum necessario, ac per consequens<sup>77</sup> non erit peccatum. Sicque dabuntur duae contradictoriae.<sup>78</sup>

Secunda sententia affirmat hominem, tam in puris naturalibus quam in lapsu, non posse sine speciali auxilio Dei omnia praecepta naturalia servare, <75r> posse tamen cum illo, quamvis sit extra gratiam habituales. Sic RICARDUS in 2 dist. 28 art. 1 q. 3,<sup>79</sup> qui hoc auxilium specialem vocat „gratiam gratis datam“, et hanc sententiam secundam potius sequuntur <MS.: sequi> supra DIVUS THOM. et SCOTUS citati, etiam ABULENSIS, sed tenet primam.

Probatur:

1. Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, quod intelligit DIVUS THOM. hic ad 2 de impletionem totius legis naturalis.<sup>80</sup> Non ergo requiritur gratia habitualis, quam gentes non habent, quamvis habeant specialia auxilia.

2. Gratia tantum requiritur, ut haec praecepta impleantur quoad modum et intentionem praecipientis, non quoad substantiam. Ergo.

3. Alias posset homo cognoscere se esse in gratia. Potest enim certe cognoscere se non peccasse mortaliter per longum tempus: ergo si non potest id praestare sine gratia habituali, poterit certus esse de illa.

<sup>77</sup> Cf. Bulla „Ex omnibus afflictionibus“ (1567): Errores Michaelis Baii de hominis natura et de gratia, prop. 67. In: *Enchir. Symb.* § 1967.

<sup>78</sup> Istud argumentum est abbreviatio argumenti, quod contra se ipsum confecit MOLINA: *Concordia*, pp. 121sq.

<sup>79</sup> Potius: RICARDUS DE MEDIIVILLA: *II Sent.* dist. 28 art. 2 q. 2. Brixiae 1591 / Repr. Frankfurt a.M. 1963, p. 359b.

<sup>80</sup> THOMAS DE AQUINO: *Summa theologiae* I-II q. 109 art. 4 ad 2.



4. Sequitur, quod tenetur quis ex hac ratione praecise non diu persistere in peccato. Consequens est falsum. Ergo. Patet sequela, quia homo tenetur ad exeundum a statu, in quo illi imminet periculum peccandi mortaliter. Sed existens in peccato non potest diu esse absque peccato. Ergo est in periculo illius. Ergo, ut ab hoc exeat, tenetur exire a peccato.

Confirmatur 1<sup>o</sup>: Si quis advertit se moraliter loquendo non superaturum tentationem aliquam nisi confitendo, tenetur ad id, ne succumbat tentationi. Ergo idem est in proposito.

Confirmatur 2<sup>o</sup>: Generaliter quando imminet periculum morale, tenetur quis vitare tale periculum. Sed existenti extra gratiam imminet periculum mortalis. Ergo tenetur ad exeundum a mortali et constituendum se in gratia, ut exeat a periculo imminenti mortalis.

Ponendum impossibilitatem aut esse physicam aut moralem. Physica est, cum aliquid physicum desideratur ex physice requisitis ad operationem, ut si desit ad videndum species. Moralis est, cum deesset aliquid ex moraliter requisitis: ut si desit propositio obiecti respectu voluntatis, nam quia propositio concurrit solum per modum persuasionis, iam nunc inter ea quae moraliter requiruntur, adnumeratur.<sup>81</sup> Verum impossibilitas moralis duplex est: antecedens alia, alia consequens.

Antecedens est, quae nullo modo pendet ex libertate hominis, qualis est illa quae provenit ex ignorantia invincibili. Eo enim ipso quod talis est, antecedit omnem libertatem hominis, unde ab hac non pendet, quum <75v> potius est causa involuntarii.

Impossibilitas consequens est, quae pendet a libera voluntate veluti impossibilitas standi supposita libera sessione actuali. Impossibile enim est me stare, dum sedeo. Est autem consequens, quod a mea voluntate pendeat sessionis actus, unde impossibilitas provenit standi.

Haec autem impossibilitas consequens duplex est: alia simpliciter consequens, alia media. Simpliciter consequens est, quae absolute supponit actum, unde impossibilitas provenit. Talis est impossibilitas standi, dum sedeo, quia supponit absolute actum sessionis, unde standi impossibilitas provenit.

Media impossibilitas est, quae absolute non supponit actum, sed dicit ordinem infallibilitatis ad illum, ad quem infallibiliter se libere determinabit voluntas in tempore futuro. Quae infallibilitas, si moralis est, desumitur ex natura causae liberae, obiectorum circumstantiarumque occurrentium, multitudine, varietate ac diversitate actuum et occasionum: quae omnia simul iuncta et considerata causant infallibilitatem moralem, ratione cuius infallibile est moraliter causam libere se determinaturam in tempore futuro ad agendum, vel non agendum. Et oppositum eius quod infallibiliter erit, si communiter universaliterque ita contingat, impossibile moraliter est, et dicitur hoc genere impossibilitatis consequentis mediae, et quanto uni-

<sup>81</sup> Cf. SUÁREZ: *Varia opuscula theologica* (1599). *Opera omnia* t. 11, pp. 93b, 136a/b.

versalius communiusque fuerit, tanto plus erit infallibilitatis et impossibilitatis istius. Illud tamen prae oculis habendum est eius esse naturae hanc impossibilitatem, ut nihil antecederet impossibilitans causam ponat. Nam cum sit impossibilitas vere consequens, necesse est, ut huius conditionem sortiatur, quae talis semper est, ut nihil antecederet ponat in causa tollens aut minuens potentiam eius.<sup>82</sup>

Huius autem impossibilitatis mediae clarissimum exemplum est,<sup>83</sup> quo ista omnia egregie illustrantur, illud PHILOSOPHI 2<sup>o</sup> *De caelo* c. 12,<sup>84</sup> impossibilitas, inquam, proiiciendi semper talos Coenses, id est numerum septenarium, quanquam possit multoties contingere, ut proiciantur. Sed quod omnes homines taxillis ludentes talos Coenses perpetuo proiciant, impossibile est. Verum haec impossibilitas non provenit ex defectu alicuius potentiae, quae modo absit a proiicientibus, qui prius Coenses talos proiecerunt, sed provenit ex eo, quod cum casu tali Coenses decident, nunquam eveniet, ut idem casus semper <76r> accidat, semperque idem omnino iactus repetatur.

Atque hinc patet, quomodo ista impossibilitas in actu fundetur. Nam sicut non potest stare qui sedet, quia sedet, nunquam est possibile, ut semper tali Coenses decident, quia nunquam idem ille actus erit, semper idemque pulsus, regimen et positio manus, quae ad talem iactum requiritur. Nunquam autem in omnibus semper erit talis pulsus etc., quia attentis omnibus circumstantiis semper et in omnibus nunquam causa se determinabit ad talem pulsum etc.

Neque doctrinae huic obest, quod totum hoc tanquam a radice dimanat ex ipsa fragilitate et libertate causae liberae, ignorantia, inadvertentia et caeteris. Nam quanquam ab hac radice proveniat, est talis, ut nihil per hoc illi desit potentiae ad semper proiiciendos talos Coenses, nihil, inquam, physicum aut morale requisitum ex parte principii, quod erat necesse, ut talis impossibilitas ‚antecedens‘ vocaretur. Id vero solum ex eo, quod proveniat a praedictis circumstantiis ut a radice, fit, ut talis impossibilitas ‚media‘ dicatur et non ‚pura absoluta consequens‘. Quia enim ad asserendam hanc im-

<sup>82</sup> Est apud Iesuitas huius temporis observatio satis frequens: „[...] notanda est [...] differentia inter impotentiam physicam, et moralem quae est in toto colectivo indeterminate, [...] quia physica antecedit factum, ita ut ex vi illius sit impossibile et implicet contradictionem saltem naturaliter non sequi effectum: Impotentia vero moralis consequitur factum, atque adeo nullam dicit implicantiam contradictionis antecedenter“ (FRANCISCUS ALBERTINUS: *Corollaria, seu quaestiones theologicae, quae deducuntur ex principiis philosophicis complexis* [1606]. Lugduni 1629, p. 286a). – „Eadem vero impossibilitas [sc. moralis] rursus recte dicitur non antecedens, qualis nempe libertatem impedit, sed consequens [...], quia non tollit libertatem ac potestatem intrinsecam absolute vitandi omnia etiam collective“ (ADAM TANNER: *Theologiae Scholasticae tomus II*. Ingolstadii 1626, col. 1243).

<sup>83</sup> Cf. MOLINA: *Concordia*, pp. 124sq. Quem locum suppresso nomine auctoris verbatim reproduxit ZUMEL: *In Primam Secundae*, pp. 112a–14a.

<sup>84</sup> ARISTOTELES: *De coelo* II, 12, 292a28.

possibilitatem non solum consideratur effectus ut repositus, sed effectus in ordine ad talem causam ut ab illa proveniens attentis omnibus circumstantiis, quae praecedunt, ideo ‚media‘ dicitur.<sup>85</sup> Connotat enim aliquid quod praesupponatur, in quo similitudinem refert impossibilitatis antecedentis. Quo posito dico:

Dico 1<sup>o</sup>: Homo in statu naturae integrae posset viribus naturae perseverare longo tempore in observatione omnium praeceptorum, ita ut nullum transgrederetur.

Sic D. THOM. art. 2 et 8,<sup>86</sup> MAG. in 2 dist. 24 et 29,<sup>87</sup> CONRAD. *Prima Secundae* hic q. 2,<sup>88</sup> HENRICUS *Quodlibet* 11 q. 7,<sup>89</sup> ALBER. 2. p. *Summae* q. 90 tract. 14 memb. 1 et 2,<sup>90</sup> BONA. in 2 dist. 24 q. 2,<sup>91</sup> DURAN. dist. 28 q. 3,<sup>92</sup> MARSIL. in 2 dist. 18 art. 2,<sup>93</sup> ZUMEL *hic* disp. 2 art. 2 conclusione 7,<sup>94</sup> P. SUAREZ *In Summam* tract. 2 lib. 2 c. 1.<sup>95</sup> Et probatur <MS. add.: 1<sup>o</sup>>, nam in eo statu nullae erant tentationes passionum, nulla incommoda rerum, perfecta cognitio, advertentia summa, facilitas magna ad bonum, summa felicitas in vita: ex quo fit, ut tunc posset homo servare omnia praecepta ista collective viribus naturae.

Dico 2<sup>o</sup>: Homo lapsus non potest de facto servare omnia praecepta naturalia per longum tempus collective viribus naturae. Et oppositum ut minimum est temerarium.

Tenent conclusionem P. SUAREZ supra *In Summam* tract. 2 lib. 2 c. 10 num. 12,<sup>96</sup> P. MOL. disp. illa 20,<sup>97</sup> P. VALENT. disp. 8 q. 1 punct. 5,<sup>98</sup> Illust.

<sup>85</sup> Cf. ZUMEL: *In Primam Secundae*, p. 105a: „Possibilitas autem vel impossibilitas moralis non ex naturis rerum absolute pensanda est, sed ex circumstantiis loci et temporis aliisque huiusmodi et etiam ex impedimentis operationum.“ – *Ibid.* p. 174b: „Potentia moralis dicit possibilitatem in ordine ad actum ut coniunctum pluribus difficultatibus.“

<sup>86</sup> THOMAS DE AQUINO: *Summa theologiae* I-II q. 109 art. 2, art. 8.

<sup>87</sup> PETRUS LOMBARDUS: *Sententiarum libri IV*. PL (Migne) 192, col. 701–06, 719–20.

<sup>88</sup> CONRAD KOELLIN: *Expositio commentaria prima in Primam Secundae Angelici Doctoris*. Coloniae 1512.

<sup>89</sup> Locum non inveni.

<sup>90</sup> ALBERTUS MAGNUS: *Summa theologiae. Opera omnia* t. 34/2. Monasterii 1978sq.

<sup>91</sup> BONAVENTURA: *II Sent.* p. 557.

<sup>92</sup> DURANDUS: *II Sent.* dist. 28 q. 3 n. 8, op. cit. f. 179a.

<sup>93</sup> MARSILIUS DE INGHEN: *II Sent.* q. 18 art. 2. Argentorati 1501 / Repr. Frankfurt a.M. 1966, f. 297rb.

<sup>94</sup> ZUMEL: *In Primam Secundae*, pp. 107a–08b. Inde et catalogus testimoniorum antecedentium depromptus est.

<sup>95</sup> Potius: SUÁREZ: *De Deo uno et trino* (1606) tr. 2 lib. 2 c. 10 n. 11. *Opera omnia* t. 1, p. 376a.

<sup>96</sup> SUÁREZ: *De Deo uno et trino*, p. 376b/77a.

<sup>97</sup> MOLINA: *Concordia*, pp. 121–27.

BELLAR. lib. 5<sup>o</sup> *De gratia et libero arbitrio* c. 5,<sup>99</sup> ZUMEL conclusione 3 iuncta 6,<sup>100</sup> qui ait oppositum <76v> esse ad minus erroneum vel errori proximum,<sup>101</sup> DIVUS THOM. art. 8,<sup>102</sup> et 3<sup>o</sup> *Contra Gentes* c. 156 <MS.: 3 et 26>, RICARDUS in 2<sup>o</sup> dist. 28 art. 7,<sup>103</sup> MARSII. q. 18 <MS.: 8> art. 2 concl. <MS.: q.> 4,<sup>104</sup> DECANUS art. 7,<sup>105</sup> HENRI. *Quodlibet* 5 q. 20,<sup>106</sup> BONAVENTURA in 2 dist. 28 art. 1 q. 3,<sup>107</sup> AEGIDIUS q. 4,<sup>108</sup> VEGA *De iustificatione* q. 12 et 13,<sup>109</sup> et GERSON *Alphabetum* 54 litera S.<sup>110</sup> Definiturque in Milevitano can. 3. 4. 5,<sup>111</sup> in Arausicano II canone 22,<sup>112</sup> in Africano can. 78, 79 et 80,<sup>113</sup> Tridentino sessione 6 can. 2,<sup>114</sup> Toletano III canone 2.<sup>115</sup> Quae concilia absolute definiunt totam legem impleri non posse absque gratia Dei per Christum. Accedunt Patres INNOCENT. I in *epistola ad Concilium Carthaginense*,<sup>116</sup> et in *epistola ad Milevitanum*,<sup>117</sup> CAELESTINUS I *epistola 1 ad episcopos Galliae* c. 6. 10 et 11,<sup>118</sup> AUGUST. saepissime ab *epistola* 90 usque ad 106,<sup>119</sup> lib. *De spiritu et*

<sup>98</sup> GREGORIUS DE VALENTIA: *Commentariorum theologicorum t.2 complectens omnia Primae Secundae D. Thomae theoremata*. Lugduni 1609, col. 921E–926A.

<sup>99</sup> BELLARMINUS: *Controversiarum*, pp. 44sq.

<sup>100</sup> ZUMEL: *In Primam Secundae*, pp. 103a, 106b.

<sup>101</sup> ZUMEL: *In Primam Secundae*, p. 103a (inde et catalogus testimoniorum sequentium depromptus est). Confirmatur a SUÁREZ: *De gratia Dei P.I* lib. 1 c. 26 n. 12, op. cit. p. 510b.

<sup>102</sup> THOMAS DE AQUINO: *Summa theologiae* I–II q. 109 art. 8.

<sup>103</sup> Potius: RICARDUS DE MEDIAVILLA: *II Sent.* dist. 28 art. 2 q. 2.

<sup>104</sup> MARSILIUS DE INGHEN: *II Sent.*, f. 298ra.

<sup>105</sup> TAPPER: *Explicatio*, p. 322.

<sup>106</sup> HENRICUS DE GANDAVO: *Quodlibet*. Parisiis 1518 / Repr. 1961, ff. 196v/97r.

<sup>107</sup> BONAVENTURA: *II Sent.*, p. 680.

<sup>108</sup> Potius: AEGIDIUS ROMANUS: *II Sent.* dist. 28 q. 1 art. 4, op. cit. pp. 367sq.

<sup>109</sup> VEGA: *Opusculum XV quaestionum*, pp. 857a, 861b–63a (q. 13).

<sup>110</sup> Nec refertur ad PS.-IOANNIS GERSON: *Alphabetum divini amoris* (*Opera omnia*, ed. DU PIN. Antverpiae [potius: Amstelodami] 1706, t.3, pp. 769–800) neque ad aliud opusculorum Cancellario attributorum.

<sup>111</sup> J.D. MANSI: *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, t.4. Florentiis 1760 / Repr. Paris 1901, pp. 325–34. Pro hoc et sequente testimonio vide GREGORIUM DE VALENTIA: *In Primam Secundae*, col. 920C.

<sup>112</sup> *Enchir. Symb.* § 392.

<sup>113</sup> Locum non inveni.

<sup>114</sup> *Enchir. Symb.* § 1552.

<sup>115</sup> Locum non inveni.

<sup>116</sup> INNOCENTIUS I.: *Ep.* „In requirendis“ (27.1.417). In: AUGUSTINUS: *Ep.* 181. PL (Migne) 33, col. 772.

<sup>117</sup> INNOCENTIUS I.: *Ep.* „Inter ceteras Ecclesiae Romanae“ (27.1.417). In: AUGUSTINUS: *Ep.* 182. PL (Migne) 33, col. 784.

<sup>118</sup> Capitulo Ps.-Caelestina (Indiculus). In: *Enchir. Symb.* §§ 244–49.

*littera*,<sup>120</sup> et lib. *De gratia Christi* c. 8 et 9,<sup>121</sup> *De gratia et libero arbitrio* c. 10 et 11,<sup>122</sup> 2° *Contra Pelagium* c. 25,<sup>123</sup> et *De natura et gratia* c. 59,<sup>124</sup> HIERONYMUS in *epistola ad Ctesiphontem*,<sup>125</sup> et *Dialogis III contra Pelagianos*, GREGORIUS *Homil. 11 in Ezechiel*,<sup>126</sup> 2° *Moral.* c. 12,<sup>127</sup> et 7° c. 15,<sup>128</sup> CHRYSOSTOMUS etiam in illud Matth. 21 „Solvite et adducite mihi“,<sup>129</sup> CYRILLUS 2° *In Ioannem* c. 45,<sup>130</sup> BASILIUS *Sermone de libero arbitrio*,<sup>131</sup> CYPRIA. *Sermone de mortalitate*,<sup>132</sup> et alii.

Dices intelligi haec omnia de adimptione totius legis tam quoad naturalia tam quoad supernaturalia, et prout conducit ad vitam aeternam.

Contra. Licet haec solutio sufficiat ad excusandum oppositam ab haeresi, non tamen a temeritate, quia Augustinus, qui fuit tempore Milevitani et Arausicani, absolute negat posse viribus naturae servari omnia praecepta Decalogi, et quia concilia volunt aliquod discrimen assignare inter hominem lapsum et integrum. Cum ergo certo constet non posse integrum viribus naturae omnia praecepta supernaturalia servare, imo neque naturalia in ordine ad vitam aeternam, fit, ut discrimen sumendum sit ordine ad collectionem naturalium.

Et confirmatur: quia rationem <MS.: ratione> huius impotentiae non ponunt concilia et Sancti in excellentiam <MS.: excellentia> praeceptorum et in illorum supernaturalitatem <MS.: -tate>, sed in naturae nostrae fragilitatem <MS.: -tate> et deordinationem <MS.: -tione> ex peccato relictam <MS.: relictam>. Quando vero de singulis operibus loquuntur, saepe explicant ad illa, ut ad pietatem et vitam aeternam conducunt, requiri gratiam. Unde non est par ratio de singulis operibus. Tandem fragilitas humana adiuncta tot impedimentis, quae ex pugna carnis et tentationibus quotidianis veniunt, ex tot considerationibus, ignorantiae pravis habitibus et aliis huiusmodi, non

<sup>119</sup> AUGUSTINUS: *Epistolae ordinis novi* 175, 181, 176, 182, 178, 177, 183, 184, 163, 164, 159, 162, 169, 211, 191, 194, 186. PL (Migne) 33.

<sup>120</sup> VALENTIA: *In Primam Secundae*, col. 920E, allegat huius libri capita 14 et 19.

<sup>121</sup> AUGUSTINUS: *De gratia Christi et de peccato originali*. PL (Migne) 44, col. 364sq.

<sup>122</sup> AUGUSTINUS: *De gratia et libero arbitrio*. PL (Migne) 44, col. 894sq.

<sup>123</sup> Locum non inveni.

<sup>124</sup> AUGUSTINUS: *De natura et gratia*. PL (Migne) 44, col. 281.

<sup>125</sup> HIERONYMUS: *Ep.* 132 ad Ctesiphontem. PL (Migne) 22, col. 1147sq.

<sup>126</sup> Locum non inveni. VALENTIA: *In Primam Secundae*, col. 923C, affert locum eiusdem autoris *Homiliae* 13.

<sup>127</sup> Potius: GREGORIUS MAGNUS: *Moralium* lib. 2 c. 11. PL (Migne) 75, col. 564–65.

<sup>128</sup> Locum non inveni.

<sup>129</sup> IOANNES CHRYSOSTOMOS: *Homiliae in Matthaeum*. PG (Migne) 58, col. 627sq. Allegatio est obscura.

<sup>130</sup> CYRILLUS ALEXANDRINUS: *Commentarius in Ioannis Evangelium*. PG (Migne) 43. Locum non inveni.

<sup>131</sup> PS.-BASILIUS MAGNUS: *De libero arbitrio*, op. cit.

<sup>132</sup> CYPRIANUS: *De mortalitate liber* nn. 3–5. PL (Migne) 4, col. 606–07.



fert consistentiam in bono rationis longo tempore. Ergo non poterit de facto servare omnia praecepta naturalia collective.

<77r> Confirmatur in naturalibus: Res composita ex contrariis et quae inter ipsa contraria versatur, non potest diu persistere sine corruptione et gravi laesione: ergo similiter in moralibus.<sup>133</sup> Ex quibus constat idem dicendum esse de homine in puris naturalibus. Quamquam enim non sit tam certum hoc de homine pro isto statu, est tamen satis certum. Nam fundamentum fragilitatis humanae reliquorumque occurrentium tantum militat in hoc statu quam in lapsu, cum peccatum originale, quod addit status naturae lapsae, nullum physicum aut morale impedimentum ponat, quod non reperiatur in pura natura. Peccatum enim nihil positivum est neque quantum ad hoc est aliud discrimen inter naturam puram et lapsam, quam inter hominem nudum et spoliatum.<sup>134</sup>

Dico 3<sup>o</sup>: Quamvis auxilium speciale Dei, si adesset, sufficeret in omni statu ad omnem collectionem praeceptorum naturalium servandam, de facto tamen in natura lapsa non est paratum nec confertur homini in peccato mortali existenti ad modum, quo paratum est existenti in gratia. Quare nunc necessaria est gratia iustificans ad omnia praecepta naturalia collective servanda per longum tempus.

Sic MAGISTER in 2<sup>o</sup> dist. 25,<sup>135</sup> D. THOM. art. 8,<sup>136</sup> et 3<sup>o</sup> *Contra Gen.* c. 160,<sup>137</sup> et *De veritate* q. 16 art. 4,<sup>138</sup> Doctores communiter dist. 28, ibi CAPREOL. q. unica art. 1 conclusionem 3,<sup>139</sup> ARGENTINA q. 1 art. 1,<sup>140</sup> AEGIDIUS q. 1 art. 4,<sup>141</sup> MARSIL. art. 2 conclusionem 4,<sup>142</sup> HENR. *Quodlib.* 5 q. 20,<sup>143</sup> DECANUS art. 7 pag. 370,<sup>144</sup> SOTO 1<sup>o</sup> *De natura et gratia* c. 2,<sup>145</sup> P. MOLINA, P. SUAREZ, P. BELLARMI.: supra.

<sup>133</sup> Cf. ZUMEL: *In Primam Secundae*, p. 104a (tertia ratio).

<sup>134</sup> Cf. SOTUS: *De natura et gratia* 1, 13, f. 48r: „Homo in puris naturalibus ab homine lapso non aliter [...] differt [...] quam uti homo nudus, qui nunquam fuit indutus, ab homine nudato quibus fuerat vestitus. Ambo enim sunt aequae nudi.“

<sup>135</sup> PETRUS LOMBARDUS: *Sententiarum*, col. 706–09.

<sup>136</sup> THOMAS DE AQUINO: *Summa theologiae* I-II q. 109 art. 8.

<sup>137</sup> Potius: THOMAS DE AQUINO: *Summa contra gentiles* III, 161.

<sup>138</sup> Potius: THOMAS DE AQUINO: *De veritate* q. 24 art. 12.

<sup>139</sup> IOANNES CAPREOLUS: *Defensiones theologiae D. Thomae Aquinatis*, ed. C. PABAN / TH. PÈGUES, t.4. Turonibus 1903 / Repr. Frankfurt a.M. 1967, pp. 284b/85a.

<sup>140</sup> THOMAS DE ARGENTINA: *II Sent.* dist. 28–29 q. 1 art. 1. Venetiis 1564 / Repr. Frankfurt a.M. 1965, ff. 180rb–181ra.

<sup>141</sup> AEGIDIUS ROMANUS: *II Sent.*, ut supra.

<sup>142</sup> MARSILIUS DE INGHEN: *II Sent.*, f. 298ra.

<sup>143</sup> HENRICUS DE GANDAVO: *Quodlibeta*, ut supra.

<sup>144</sup> TAPPER: *Explicatio*, ut supra.

<sup>145</sup> SOTUS: *De natura et gratia*, ut supra.



Probatur secunda pars conclusionis (nam prima est clara et omnium, infraque de illa erit sermo) ex conciliis citatis, ex toto capite 3<sup>o</sup> *Ad Romanos*, et *Threno*. 1<sup>o</sup> ibi „Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est“.<sup>146</sup>

Item: Peccator est indignus auxiliis efficacibus ad vitanda peccata, imo et omni auxilio naturae non debito: ergo Deus non est paratus ad dandum illi auxilia efficacia ad vitandum omnia peccata per longum tempus. Neque solum est impossibile homini existenti in mortali servare omne praeceptum naturale per longum tempus sine speciali auxilio Dei, sed etiam suo modo eandem impossibilitatem habet respectu praecepti difficillimi saepe occurrentis secundum suam speciem considerato, v.g. respectu praecepti continentiae. Colligitur ex PAULO *Ad Rom.* 7 specialiter inquirente, quis eum liberaret ab huiusmodi tentationibus, respondenteque gratiam per Iesum Christum esse potentem ad hoc.<sup>147</sup> Et ratio est, quia si haec praecepta difficillima posset homo diu servare viribus suis, posset homo servare diu totam legem, cum reliqua sint non tam difficilia neque tam <77v> crebro accidant, et

Confirmatur: quia saepe existentes in mortali servant alia praecepta facilia et raro occurrentia per longum tempus eis solum, quae difficilia sunt et saepe occurrunt, violatis. Ergo seclusis istis possibile esset totam legem servare. Ergo si haec etiam diu potest servare existens in mortali, sequitur, quod possit totam legem.

Dico 4<sup>o</sup>: Longum tempus, per quod non potest homo omnia vel difficilia haec praecepta servare, non aequaliter se habet respectu omnium hominum. Ideo brevius est, quo plures se offerunt alicui difficultates, sive ab intrinseco ratione passionum vehementium aut pravorum habituum, sive ab extrinseco ratione tentationum Daemonis et occasionum occurrentium. Unde quod respectu unius hominis est longum tempus, respectu alterius est breve. Hinc fit tantam posse esse alicuius tentationem, tantam vehementiam et fragilitatem, ut breve tempus, v.g. unius diei, sit longum respectu illius, ita ut licet in quolibet instanti determinato non sit impossibile illam tentationem vincere, per totum tamen diem impossibile sit absque gratia per Christum.

Dico 5<sup>o</sup>: Impossibilitas, quam hucusque asseruimus, non est physica aut moralis absoluta, sed media illa explicata in notabili.<sup>148</sup>

<sup>146</sup> Lam. 1, 8. Testimonium allatum a VALENTIA: *In Primam Secundae*, col. 923B.

<sup>147</sup> *Ad Rom.* 7, 24–25.

<sup>148</sup> Cf. ZUMEL: *In Primam Secundae*, p. 105a: „Quarta conclusio. Haec impossibilitas observandi omnia mandata naturalia collective, sine supernaturali auxilio Dei, non est intelligenda de impossibilitate physica, sed de impossibilitate morali [...] Impossibilitas ergo moralis in hoc tantum consistit, quod licet possit implere legem possibilitate physica, quae non dicit repugnantiam cum potentiis operativis intellectus et voluntatis, abstrahendo ab omnibus difficultatibus, quae possunt in particulari occurrere, nunquam tamen reducetur talis potentia in actum sine auxilio supernaturali Dei.“ Zumel

Et quidem, quod non sit physica aut moralis absoluta, evidenter probatur: nam alias non imputaretur peccatum delinquenti. Et quia, nisi physicum aliquid, neque morale ex necessario requisitis ad possibilitatem vitandi peccata deest homini (alias ei non imputaretur peccatum), et quia in quacunque occasione et tentatione et tempore, praecepto et observatione, sive collective sive divisive sumatur, homo est liber, ergo physice et moraliter morali illa potentia absoluta homo potest vitare omnia peccata adhuc collective, si sermo sit de possibilitate physica et morali absoluta. Atque hinc constat impossibilitatem a nobis traditam nullam aliam esse posse nisi moralem mediam in notabili explicatam. Nulla enim alia potest assignari aut fingi, secundum quam homini <MS.: homo> fit impossibile <MS. add.: viribus naturae> servare omnia praecepta naturalia collective viribus naturae per longum tempus.

Ad argumenta primae sententiae:

Et ad primum respondetur solum probare posse physice et moraliter absolute, non autem posse potentia media, quod est dicere: non faciet de facto, quia sicut est rationalis, ita etiam est sensitivus et amabit bonum sensibile, quia libere volet illud allectus illius bonitate. Neque obstat maiorem inclinationem esse ad bonum rationis, quia licet hoc ita sit, non sunt tamen tot difficultates in <78r> persecutione boni sensibilis quam in persecutione boni intellectualis, neque ita efficaciter proponitur hoc ac illud.

Ad secundum respondetur difficultates circa bonum rationis efficere, ne circa illud diu homo versetur.

Ad tertium respondetur posse physice et moraliter absolute. Quod sufficit.

Ad quartum respondetur solum probare potentiam physicam et moralem absolutam, non autem mediam, ut videre est in eo, qui, quamvis intensos virtutum habitus infusos et acquisitos habeat, nihilominus solet facillime peccare, quia vult et movetur a bono sensibili.

Ad primam confirmationem respondetur similiter. Ad secundam respondetur in natura integra ideo potuisse hominem, quia nullae aderant difficultates, sed omnia illa quae in prima conclusione dixi. Ad tertiam negatur

ipse fatetur quidem conclusionem suam, quae satis communis fuit in Schola Salmantina XVI. saeculi, tantum probabilem esse: „Et quidem probabilis est iuxta ea quae diximus. Sed nihilominus suas habet difficultates: Nam quod est possibile physice, licet sit impossibile moraliter, nullum sequitur inconveniens, si reducatur ad actum in aliquo casu raro: ergo non est inconveniens dicere, quod aliquis sine auxilio Dei perseverabit longo tempore sine novo peccato, sive fuerit in gratia, sive non; quod non videtur tutum. Item: Quia forte istam impossibilitatem moralem non negaret Pelagius [...]“ (p. 111b). VÁZQUEZ: *In Primam Secundae* disp. 189 nn. 170–73, op. cit. p. 319, ipsissima ratione solutionem impugnat, cum SUÁREZ: *De gratia P.I.*, lib. 1 c. 24 n. 31, op. cit. p. 499a, id scrupulum ortum esse teneat ex tollenda aequivocatione distinctionis impossibilitatis physicae et moralis.

comparatio, si sensus sit de potentia media, quae in statu integro aderat homini, in lapso non.

Ad quintum et eius confirmationem respondetur difficultatem, quae reperitur in tota collectione, esse persistere in eodem proposito diu, quod in unoquoque divisive non est. Quae difficultas non tollit potentiam physicam et moralem absolutam, sed mediam, et inducit impossibilitatem mediam.

Ad sextum cum sua confirmatione respondetur solum procedere de potentia physica et morali absoluta, non de media, quia cum haec non deficiat ob physicum impedimentum aut morale tollens virtutem ad agendum, sed per morale impedimentum medium, morale tantum terminum habere debet, scilicet longum tempus ita, ut sicut nullum est instans determinatum aut pars ultima, per quae constituatur tempus in ratione longi temporis – quia quodcunque longum tempus assignetur, per hoc, quod minima particula vel instans auferatur, non desinit esse longum tempus –, sic etiam non est assignabile instans, intra quod possit quis diu praecepta servare et non ultra, sed tantum potest assignari longum tempus, quodcunque illud sit. – Sed demus totum quod argumentum intendit: adhuc nihil contra nos. Solum enim procedit, si aliquam vim habere debet, de potentia media, non de physica et morali absoluta. Hanc in quocunque instanti concedimus et in quovis tempore, etiam longissimo, illam negamus. Neque aliquod inconueniens sequeretur, si quis diceret in hoc instanti determinato deesse v.g. Tirio potentiam mediam ad servandum hoc vel illud praeceptum, supposito <MS.: suppositio> longo tempore praecedenti. Esset enim tantum dicere, quod hic et nunc Tirius non servabit <MS.: servavit> de facto praeceptum.

Ad septimum respondetur solum probare potentiam physicam et moralem absolutam.

Ad octavum respondetur similiter.

<78v> Ad confirmationem respondetur: Licet adsit ignorantia invincibilis circa unum praeceptum, non adest circa alia. Vere circa illa peccabit <MS.: peccavit> in longo tempore. – Sed quid, si illud praeceptum quod invincibiliter ignorat, est illud circa quod tantum peccaturus erat intra illud longum tempus? Respondetur iam tempus non esse longum ratione illius ignorantiae. Unde negatur suppositum.

Ad nonum respondetur solum procedere et probare quod octavum. Nam quamvis non possimus assignare determinate longum tempus, est tamen certum, quod in toto illo de facto peccabitur, et licet demus cognoscere Deum, intra quod tempus determinate peccabit <MS.: peccavit>, nil contra nos, quia solum cognoscit, quod peccabit <MS.: peccavit> non defectu potentiae physicae aut moralis absolute, sed solum, quia nollet abstinere a peccato.

Ad secundae [sc. sententiae] argumenta:

Et ad primum respondetur solum probare fieri aliqua bona a gentibus, non vero omnia collective per longum tempus.

Ad secundum respondetur gratiam non requiri per se, id est quantum est ex vi physicae entitatis et ut physice quid requisitum ex indigentia physica,

sed tantum ex divina institutione, quae statuit non conferre auxilia efficacia ad vitanda omnia peccata intra longum tempus existenti in mortali.

Ad tertium respondetur non posse hominem certe scire se in longo tempore non peccasse mortaliter, quamvis posset probabilibus coniecturis id sibi persuadere.

Ad ultimum respondetur non teneri hominem ad id, quoniam ignorat quodnam sit longum tempus, vel quando adveniat. – Sed demus scire: et concedo totum. Tunc vero non est distinctum peccatum ab eo quod postea committet, sed circumstantia illius. Sicut qui videns ad superandam tentationem carnis necessariam sibi esse communionem vel confessionem, et non communicat nec confitetur, duo peccata non committit <MS.: committi>, alterum luxuriae, omissionis illorum sacramentorum alterum, sed unum luxuriae cum circumstantia omissionis illorum duorum sacramentorum.<sup>149</sup>

*Abstract:*

*The American Molinist Juan Perlin, whose teaching career ended at the Jesuit college of Cologne, left a Treatise on efficacious grace (1607/18), hitherto unpublished, part of which is edited here. This text assesses the anthropological commitment of Catholic theology. The key features of the anthropology found in the Tridentine Decree of Justification (1547) are the freedom of the will and the weakness of the will. The first of these consists in the human ability to resist any temptation in any given situation, the latter in the impossibility of resisting every temptation in the long run. How do these two claims cohere? Among the hypotheses defending the claims discussed in scholastic theology, the fairly common 16th-century distinction between physical and moral impossibility received an ingenious interpretation within Molinism. Molina held that 'moral impossibility' can be explained by a comparison with the game of dice: avoiding every sin is as unlikely as throwing a double six a thousand times in a row. Moral impossibility allows for randomizing. This line of reasoning has been pursued by Juan Perlin. As for the distinction between physical and moral certainty, he concluded that whereas physical certainty is based on the knowledge of an antecedent necessity, moral certainty is based on a proto-Humean knowledge by inference. Perlin thus fits into the larger context of the 17th-century 'emergence of probability' (Ian Hacking). On the other hand, Perlin is an early critic of the Leibnizian style of doing theology: his libertarianism goes so far as to block any moral necessity of God's having chosen the best possible world. As a result, it seems just as inappropriate for historians of medieval scholasticism as for those of early modern philosophy to ignore the vast field of theology during the age of the disputes on grace.*

<sup>149</sup> Cf. ZUMEL: *In Primam Secundae*, p. 110b.